

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XX. Qualiter homo torporem depellat, et somnum

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

consoletur. Cui Dominus : « Ecce jam mihi canitur ter  
 Se Christus  
 ter offert  
 cum canitur  
*Agnus Dei.* Agnus Dei : in primo me offero Deo Patri cum omni humilitate et patientia mea pro vobis ; ad secundum, offero me cum omni amaritudine passionis meæ in plenam reconciliationem. Ad tertium, cum toto amore divini Cordis, in supplementum omnium quæ homini desunt bonorum. » Dixit etiam Dominus : « Dico tibi : qui Missam devote et studiose audierit, in extremis ejus tot nobiles Sanctorum meorum personas in ejus consolationem et defensionem, ad animam ejus cum honore deducendam, sibi transmittam, quot Missas in terris audivit. »

*Homines ad ecclesiam contriti accedant.*

Item cum vice quadam ad Missam iret, vidit Dominum de cœlo in candidissima veste descendenter et dicentem : « Cum homines ad ecclesiam properant, pœnitentia, pectoris tensione et confessione se deberent præparare ; sic meæ divinæ claritati possent obviare , et eam in se recipere, quæ per hujus vestis candorem declaratur. »

## CAPUT XX.

## QUALITER HOMO TORPOREM DEPELLAT, ET SOMNUM.

**P**IA hæc et devota Virgo, miro modo anhelans cœlestia, cum tempore aestivo Sorores quasdam in Missa pigritantes et dormitantes videret, zelo accensa justitiæ, simul et pietatis ducta affectu, dixit ad Dominum : « Eia Domine Deus, quid est quod miser homo tam fragilis est, ut nec cum divinis interest , a somno valeat abstinere ? » Ad quod Dominus respondit : « Si cogitarent cœlestia, aut etiam inferni pœnam, somnus ab eis bene sugaretur ? Et

illa : « Quibus datum non est ut hoc facere sciant, quid facient ? » Respondit : « Si quis habet amicum sibi valde dilectum, doleret si ab ejus familiaritate semotus esset. Quisquis igitur cogitat qualiter ego fidelissimus et amicissimus amicus ejus sim , cum ad me pervenerit, omnia secreta mea ipsi pandam, in tantum ut ultra nil cupiat aut velit scire, juste cor ejus excitaretur ad delectandum in me. Qui etiam cogitaret qualiter ego omnis suavitatis dulcor ero ei, et sapor secundum omne cordis sui delectamentum, et quam potens et liber in mea libertate fiet, etiam mei potens effectus, cum omnia quæ voluerit, in me plenissime poterit : hæc recognitata merito ab homine somnum fugarent. »

Memor sit  
homo cœli  
et inferni.

Post dulcia ergo Dei et animæ colloquia , dixit Dominus ad eam : « Ecce tuus et in tua potestate sum ; duc ergo me quo volueris. » At illa eum deduxit per chorum ad Sorores, ubi singulis dulcem exhibit affectum, quasi unicuique aliquid daret. Interrogante autem illa quideis dedisset, ait : « Afflatum Spiritus mei. » Cui illa : « Et quid hoc eis proderit ? » Respondit : « Ex afflato Spiritus mei divini anima quamdam sentit dulcedinem in qua me sapit ; cui si homo consenserit, et cor suum ad magis recipiendum habitaverit, nascitur exinde gratitudo. Quia si homo exercuerit, sicut omnia dona Dei cum gratitudine suscipiens, pro singulis gratias agat, prorumpit exinde in opus bonum : sicque fit homo de die in diem proficiens in virtutes, donec omnibus bonis abundet.

Perchorum  
Dominus  
sorores  
afflat.